Q. D. T. O. M. B. V.

DISSERTATIO MEDICA
DE
EMENDATIONE TEMPERAMENTORVM

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQVA,

CONSENSV

ILLVSTRIS ET GRATIOSISSIMAE FACVLTATIS MEDICAE IN ALMA SALANA

SVB PRAESIDIO

IOHANNIS CHRISTIANI STOCKII

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS,

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI

PVBLICE SVBMITTIT

IOHANNES VVOLFGANGVS HAAG

BARVTHO-FRANCVS, PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE CVLTOR.

DIE VII. APRILIS M DCC XXXI.

IENAE,

LITTERIS HORNIANIS.



I. N. I.

PROOEMIVM.

TAm ratione, quam experientia duce, constat multo certissime, quod sui cuique mores & valetudinem & fortunam fingant.

Tritum vero est proverbium: *Mores sequuntur humores.* Etenim hoc tam certum est, quam quod certissimum, quod a partium corporis humani constitutione, tum hominis actiones, quæ ipsi secundum naturam conveniunt, tum etiam inclinationes & propensiones certam modificationem subeant. Sub illis vero potissimum *humorum* comprehenditur *negotium*, ut horum temperies eas omnes maxime determinet.

Nomine *temperiei* intelligimus certam humorum, eorumque partium constituentium, quoad quantitatem, qualitatem, miscelam & motum, dispositionem, ex qua tanquam effectus procedunt certæ humani corporis qualitates, ut ipsum, diversa ratione, diversoque gradu sit *calidum, humidum, frigidum, siccum,* unde diversa tempera-

peratura consurgit, quæ individualem actiones exercendi facultatem dispensat.

Laudatam humorum temperiem etiam *temperamentum*, vel cum aliis, *naturam hominis* dicimus.

Quia humores variis de causis & temporis successu, aliam, aliamque acquirunt conditionem, indeque temperamenta mutationem subeunt, & quidem vel in melius, vel in pejus, non inconsultum fore, existimamus, si de *temperamentorum emendatione* cogitemus, partim, ut sanitati prospiciamus, partim, ut cujusque mores virtutibus respondeant.

Hoc thema pro specimine publico exhibendo elegimus.

Clementissimum in coelis Numen, a quo omnia bona expectamus, & accipimus, nostris adspiret conaminibus, corporis, mentisque largiatur vires, ut labores nostri in Divini Nominis gloriam peragantur feliciſſime.

§. I.

RECepta quidem eſt in ſcholis phyſicis & medicis *diſtinctio inter temperamentum mixti & viventis*; Sed, miſſo *temperamento mixti*, nos hic loci *viventis temperamentum* pro inſtituti ratione perpendimus.

§. II.

Viventis temperamentum duplici ratione definiri poteſt, mox ad ipſius rationem formalem, mox ad cauſam reſpiciendo. Unde *illius definitio* erit *vel formalis vel cauſalis*.

§. III.

Definitio formalis: Viventis temperamentum eſt qualitas corporis humani viventis, actionibus ipſi ſecundum naturam competentibus obeundis apta.

§. IV.

Definitio cauſalis: Viventis temperamentum eſt certa humorum, nominatim ſanguinis & ſeri, eorumque partium conſtituentium, quoad quantitatem, qualitatem, miſcelam & motum, diſpoſitio.

§. V.

Has vel qualeſcunque de viventis temperamento allatas definitiones ſi exactius ponderamus, deprehendimus, quæ iis innuuntur, omnia in compendio haberi in ſequenti definitione, quam elegantiſſime exhibuit, & ſolidiſſime demonſtravit, Illuſtris atque Magnificus D. D. Jo. Ad. Wedelius *in Diſſertatione de temperamento viventis*. Definit enim Excellentiſſimus Vir *viventis temperamentum, quod ſit qualitas corporis humani viventis, a ſanguinis & ſeri ἐνεργείᾳ, ſe invicem pro varia utriusque proportione temperante proveniens, actionibus, quæ ſecundum naturam ſunt, perficiendis apta.*

§. VI.

Subjectum principale eſt *maſſa ſanguinea*, a qua nutriuntur, augentur & conſervantur partes ſolidæ, ita ut hæ, imo totum corpus humanum, ab ea temperiem accipiant.

Hinc *adæquatum temperamenti* fubjectum eft totum corpus humanum.

§. VII.

Eft vero maffa fanguinea *fluidum maxime heterogeneum*, id quod ex ipfius genefi, analyfi chimica, fluidis variis ex ipfa oriundis, diverfaque ipfius activitate cognofcere licet. Duæ autem præcipuæ in maffa fanguinea partes fe fenfibus manifeftant, quarum *una rubicunda* eft, & κατ' ἐξοχὴν *fanguis* appellatur, altera *albicans & magis aquea* exiftit, quæ *ferum* dicitur. De his per principia phyfiologica evictum eft, *prioris* potiorem virtutem in calore, *alterius* in humiditate confiftere. Uti vero calor & humiditas aliquid *pofitivi* involvunt, ita frigus ex caloris, ficcitas ex humiditatis defectu refultant, adeoque aliquid *privativi* innuunt. Dum vero *ferum* illa activitate, quam fanguis habet, deftituitur, & vice verfa, fanguis illam, quam ferum, activitatem non habet, facile intelligi poteft, quo pacto utriusque humoris activitates fe invicem temperent.

§. VIII.

Sanguinis partes conftituentes funt diverfi generis, fulphureæ fcilicet, falinæ alcalicæ, acidæ, volàtiles, fixæ, terreftres, quæ varia proportione præfentes, modo & gradu diverfam ἐνέργειαν in corpore præftant. In hoc autem omnes fere confentiunt Phyfiologi, quod, quo plus fulphurearum, & alcalicarum volatilium particularum, quæ priores refolvunt, continet fanguis, eo magis calor in corpore emineat, contra vero deficiat, quo magis illæ ab acidis fixioribus, terreis, fuperantur. Etfi autem particulæ fanguinis fulphureæ ad calorem concipiendum & fovendum vel maxime aptæ habeantur; nunquam tamen eum rite præftare poffunt, nifi motum inteftinum blandum fubeant; hunc vero ipfis conciliant partes in fanguine hærentes fpirituofæ, principium corporis humani vitale conftituentes, a quibus fanguinis motus vitalis, ipfeque calor dependet. Vid. Illuftris & Magnifici

D. D.

D. D. Jo. Ad. Wedelii Diſſertatio *de principio vitali*. Variat vero hoc ipſum principium, ejusque efficacia, pro maſſæ ſanguineæ ipſius varietate atque conſtitutione, vid. jam laudati Viri Diſſ. *de temperamento viventis*.

§. IX.

Ut maxima pars *ſanguinis* ſulphur, ita *ſeri* aqua eſt. Præter hanc vero ipſum ſerum quoque particulas habet gelatinoſas, ſulphureas, longe vero temperatiores, quam in ipſo ſanguine. His immerſæ ſunt ſalinæ, imprimis acidæ, blandiores tamen, pauciores alcalicæ, hinc & terreæ. Partes *ſerum* conſtituentes, pro diverſa quantitate & proportione, illius activitatem gradu diverſam exhibent. Quo magis inſero pars aquea & gelatinoſa exſuperat, ſalinarum alcalicarum vero quantitas minor eſt, eo majorem ſanguinem refrigerandi & humectandi vim illud obtinet. *Aquea* enim *ſeri pars* ſanguinis calorem temperat, diluendo, & gelatinoſa involvendo partes ſanguinis activiores, earumque motum refrenando. Acidum autem *ſero* junctum, ſanguinis ſulphur ſale alcalico volatili expanſum & rarefactum figit. Quando vero in *ſero* magis ſal alcalicum eminet, partium gelatinoſarum & acidarum vis infringitur; Hinc calor ſanguinis, ejusque ſiccitas minus temperatur. Et generatim, quo major *ſero* ineſt ſalium quantitas, eo minor ejus ſanguinem humectandi vis deprehenditur.

§. X.

Ex quibus colligere licet, omne viventis temperamentum a ſanguinis & *ſeri* ἐνεργεία, ſe invicem temperante; *hanc* vero ab utriusque humoris vitalis quantitate, qualitate, & miſcela, verbo, a proportione humorum vitalium dependere. Adeoque *immediata temperamenti cauſa* aſſeritur, ſanguinis & ſeri ἐνέργεια ſe invicem convenienti ratione temperans; & *cauſa mediata proximior* ſanguinis & ſeri proportio, quæ in partium maſſam ſanguineam componentium quantitate & miſcela in variis va-

ria

ria diversimode radicatur. Ex diversa itaque massæ sanguineæ constitutione, *temperamenti diversitas* patere potest. Illius vero *ratio*, ex causis temperamenti remotioribus inferius recensendis, patebit.

§. XI.

Differentiam essentialem temperamenta sortiuntur ab humorum vitalium proportione, & inde determinata ἐνέργεια. Hæc cum sit vel *ordinaria*, quæ omnibus communis est hominibus, & in calore atque humiditate, siccitate & frigore, diverso gradu combinatis consistit; vel *extraordinaria*, quæ huic vel illi individuo propria est; *temperamentum* ideo generatim erit *vel ordinarium vel extraordinarium*, hoc ἰδιοσυγκρασία vocatur, quia peculiarem partium massæ sanguineæ spirituosarum texturam supponit, a qua, hoc vel illo objecto præsente, spiritus animales motum subeunt extraordinarium, ut effectus plane extraordinarii edantur, hi vero ita se habent, ut quis vel ferre possit sine omni noxa, quod alias natura humana abhorret, vel aversetur, quod reliquis hominibus gratum habetur, imo symptomata hanc ob causam præsentem graviora experiatur, ne dicamus, quod ex adversis objectis præsentibus quidam morti succubuerint, ita ex rosarum odore nonnullos extinctos fuisse, refert Cromerus L. de *origine & rebus gestis Polonorum, p. m.* 138. Plura de *extraordinario temperamento* dicendi hic non amplius locus erit; Alia forsan occasione, Deo favente, hanc tractationem suscipiemus.

§. XII.

Massa sanguinea suam constitutionem, a qua temperamentum dependet, vel a primo statim hominis ortu habet, vel eam post nativitatem recipit; Hinc *temperamentum* aliud est *nativum*, aliud *ascititium*. Ut vero statim ad essentialem temperamenti differentiam revertamur, hanc a sanguinis & seri ἐνέργεια, se invicem pro varia utriusque proportione, diverso gradu, temperante deduximus.

mus. Cum itaque 1) *sanguinis* ἐνέργεια in calore, *seri* vero in humiditate consistat, & 2) *hujus* minor gradus sub siccitatis, *illius* sub frigoris nomine veniat, 3) nullum detur *absolute* simplex, sed ex duabus qualitatibus compositum temperamentum, 4) *hujus* differentia a primis illis qualitatibus, desumenda sit; Liquido constat, quod, pro diverso caloris & humiditatis gradu combinato, *temperamentum* sit *vel calidum & humidum*, vel *calidum & siccum*, vel *frigidum & humidum*, vel *frigidum & siccum*. A potiori vero humorum parte, quæ prædominatur, suamque efficaciam in corpore maxime exerit, denominationem specialem illud accipit.

§. XIII.

Ita a parte *massæ sanguineæ rubicunda*, sive *sanguine* κατ' ἐξοχὴν dicto, dicitur *temperamentum sanguineum*, quia in hoc sanguis, sero blando tamen temperatus, ἐνέργειαν suam præstat, ut duæ qualitates, calor & humiditas bene sint commensuratæ, quo pacto temperatissimus, & sanitati maxime conveniens status habetur.

§. XIV.

Quando vero in massa sanguinea salinæ sulphureæ volatiles partes, quæ bilem alimentariam constituunt, eminent, serosæ vero temperantes respective deficiunt; Inde dependens sanguinis & seri ἐνέργεια *temperamentum* constituit *calidum & siccum*, quod a partibus biliosis magis eminentibus *biliosum, sive cholericum* vocari solet. *Istæ partes* si ab acidis per fermentationem intimius conjunctis magis acuuntur, *atram bilem* a veteribus dictam constituunt, quæ calorem & siccitatem adhuc magis intendunt, ab ista *atrabilarium* nominatur *temperamentum.*

§. XV.

Illam sanguinis & seri proportionem, qua in sanguine partes biliosæ, sive salinæ sulphureæ volatiles deficiunt,

 dum

dum ipſe ſanguis minori adeſt quantitate, ſerum vero exſuperat, in hoc vero maxime eminet pars gelatinoſa, quam *pituitam* nominaverunt Veteres, *temperamentum* ſequitur *frigidum & humidum*, quod *phlegmaticum*, vel *pituitoſum* dici conſuevit.

§. XVI.

Si maſſæ ſanguineæ conſtitutio talis ſit, ut ſanguis reſpective deficiat, & ſerum magis ſcateat *particulis acidis fixioribus, & terreſtribus*, quæ ſanguinis ſulphureas & activiores deprimunt particulas, ut calor pariter & humiditas minorem gradum habeant, *temperamentum* inde conſurgit *frigidum & ſiccum*, quale ſpeciatim *melancholicum* vocari ſolet, ob acidum fixius, terreum, quod in ſero prædominium habet, & a veteribus *melancholia* appellatur.

§. XVII.

Cum temperamentum ſit qualitas, omnis vero qualitas recipiat magis & minus, h. e. intendi & remitti poſſit; Inde facile intelligi poteſt, quod vario gradu temperamenta enaſcantur. Et quia cujusvis temperamenti cauſam in ſe continet homo, quod maſſæ ſanguineæ heterogeneitas, & partium illam componentium varia conditio comprobat; Exinde haud difficulter demonſtrari poteſt, quod ex quatuor cardinalibus temperamentis recenſitis non unicum ac ſolum, ſed ex iis diverſo gradu & modo mixtum temperamentum in homine ſit ſtatuendum, quod etiam quotidiana experientia vel millenis confirmat exemplis. Uti vero ſemper a potiori denominatio capit initium, ita quoque hoc de temperamentis valet; Quod nempe prædominium habet temperamentum, præcipue nominatur, ut vero ejus, ad quod prius inclinat, vel quod priori ſtatim ſubſtat, ſimul mentio fiat, ejus quoque nomen attenditur, ſed prioris & potioris temperamenti nomini poſtponitur. Servantur vero nomina ab humoribus deſumenda. E. g. Si in *ſan-*

guineo

guineo temperamento ſanguis magis bilioſus ſit, non tamen tanto gradu, ut in bilioſo & cholerico temperamento, tunc a *potiori* quidem fit denominatio, quia autem *ſanguineum temperamentum* tunc magis ad *cholericum* inclinat, vocatur *ſanguineo-cholericum*. Porro ſi adſit *temperamentum phlegmaticum*, inclinet vero ad *ſanguineum*, *phlegmatico-ſanguineum* tunc audit *temperamentum*. Si *melancholicum temperamentum* inclinet ad *cholericum*, ob proportionem humorum vitalium huic ſtatui conformem, *melancholico-cholericum* dicendum erit *temperamentum*, & ſic quoque in reliquis.

§. XVIII.

Quæcunque maſſæ ſanguineæ partium conſtituentium quantitatem, qualitatem, miſcelam, motum, conſervare, vel aliter diſponere, & mutare, adeoque ſanguinis & ſeri proportionem, & inde pendentem ἐνέργειαν conſervare, vel mutare valent, ſunt *temperamentorum cauſæ mediatæ remotiores*.

§. XIX.

Sic *ex rebus naturalibus*, ſi de nativi temperamenti conditione ratio ſit adducenda, revera haud parum facit ad temperamenti conſtitutionem *diſpoſitio hæreditaria*; Siquidem fœtus humores ab humorum proportione in parentibus præſente ſimilem conſtitutionem acquirunt, tametſi hæc ob alias cauſas accedentes, quandoque aliam conditionem admittat, unde etiam differentia inter nativum & aſcititium temperamentum derivanda eſt.

§. XX.

Inter præcipuas ex rebus naturalibus cauſas locamus *viſcerum conſtitutionem*, quippe quæ in συγκρίσει & διακρίσει humorum, adeoque in ipſorum proportione fundamentum præbet.

§. XXI.

Multum etiam proportioni humorum tribuit *habitus corporis*, quatenus pro diversa, vasorum, meatuum, & pororum ratione, humorum circulus, inde humorum σύγκρισις & διάκρισις, hinc & humorum proportio determinatur.

§. XXII.

Nec minus *sexus diversitas* ad temperamenti conditionem facit. Fœminæ enim præ maribus serosiores deprehenduntur, hinc est, ut in sequiori sexu pauciores cholerici vel melancholici, plures autem sanguinei, vel phlegmatici, vel sanguineo - phlegmatici temperamenti esse, inveniantur.

§. XXIII.

Porro ex naturalibus causis est *ætas*. Juxta hujus enim statum humorum proportionem determinari, per principia physiologica, constat.

§. XXIV.

Humorum proportionem maxime disponit *conditio & usus rerum non naturalium*, ex quibus *aër calidior* partium in massa sanguinea activiorum evolutionem, & motum majorem, serosarum vero dissipationem præstat. *Frigidus* contra *aër* partium activiorum concentrationem & motum torpidiorem, serosarumque partium, & sub his inprimis gelatinosarum accumulationem efficit. *Humidus*, item *ventosus aër* superfluarum in humoribus partium excretionem impediendo, humorum proportionem mutat. *Aër siccus*, simulque *calidior* existens, partium serosarum imminutionem facit. Sic quoque obscurum esse nequit, quod *anni tempora* ob aëris varias mutationes in massa sanguinea, quoque alterationem inducere valeant. Nec minus *climatis & regionis conditio* massæ sanguineæ proportionem, adeoque temperamentum determinat.

§. XXV.

§. XXV.

Cibus & potus, dum materiam præbent massæ sanguineæ, tales etiam in hac partes incrementum capiunt, quales in illis abundant, adeoque alimenta tum *quantitate*, tum *qualitate* ad temperamenti conservationem, vel mutationem plurimum faciunt. *Motus* vel in *excessu* vel in *defectu* peccans, similiter *somnus & vigiliæ*, secretionem atque excretionem humorum disponendo, faciunt vel ad quarundam in massa sanguinea partium excessum, vel defectum; Unde quoque massæ sanguineæ proportio, adeoque temperamenti conservatio, vel mutatio determinatur.

§. XXVI.

Animi pathemata spirituum & humorum motum aliter disponendo, humorum quoque proportionem mutant. *Excreta & retenta*, partium in massa sanguinea excessum vel defectum inducendo, ipsius proportionem mutant. Huc referendæ sunt *evacuationes* studio institutæ, sanguinis missio, adeoque venæ sectio largius & crebrius instituta, purgationes, sudationes modum excedentes; Item *medicamentorum abusus* huc pertinet.

§. XXVII.

Morbos temperamentorum mutationem potenter efficere, experientia suo comprobat calculo. Ita *a febribus*, si diutius durent, temperamenta notabilem mutationem patiuntur. Non solum vero *intemperiei morbi* ad temperamenti mutationem multum faciunt, sed etiam *morbi conformationis*; Speciatim *viscerum depuratoriorum obstructiones*, quatenus humores ob massæ sanguineæ circulum, per cava viscerum, læsum, σύγκρισιν & διάκρισιν ita subire nequeunt, ut temperamento determinata massæ sanguineæ proportio maneat. Hinc est, ut *affectus hypochondriacus*, nec minus *affectus hystericus* diu durans, insignem temperamenti mutationem inferant. Ita viscerum depuratoriorum obstru-

ctio e. g. temperamentum ſanguineum ſucceſſu temporis in phlegmaticum vel melancholicum convertere valet.

§. XXVIII.

Cauſis temperamentorum etiam accenſeri debent *educatio, hominis ſtatus & conditio, vitæ genus, conſuetudo, converſatio, aliorum imitatio, peregrinationes.* Ab his enim & ſimilibus cauſis rerum non-naturalium conditio & uſus varie determinatur, ut hanc vel illam proportionem recipiat maſſa ſanguinea, ipſumque temperamentum intenſionem, vel remiſſionem, vel majorem mutationem ſubeat.

§. XXIX.

Actiones & propenſiones hominis tanquam effectus temperamenti dant hujus ſigna. Paucis itaque cardinalium temperamentorum ſigna recenſebimus, quibus cognitis, reliquarum ſpecierum ſigna, absque difficultate evolvi posſunt.

§. XXX.

In ſanguineo temperamento corpus deprehenditur moderate calidum, molle, agile, facies florida, venæ ſanguine turgent, pulſus eſt magnus, plenus, æqualis, appetitus bonus; Ut digeſtio, chylificatio & ſanguificatio, ita quoque nutritio & auctio bene ſuccedunt; Semen copioſe ſecernitur, unde libido multum ſe exerit, inſomniis venereis crebrius tentantur ſanguinei, cæteroquin ſomnus profundus eſſe ſolet. Senſus & motus vigorem & alacritatem præbent. Memoria mediocriter ſe habet, ingenium judicium plerumque ſuperat. Sunt ejusmodi homines variabiles, novas res appetunt, ſæpius oſtendunt animi hilaritatem, ſunt pacifici, amicitiæ & æquitatis amantes, benefici, otii tamen, voluptatis & ſecuritatis amorem produnt, in periculis ſunt meticuloſi. Diſponit ſanguineum temperamentum ad plethoram & omnis generis inde oriundos morbos, ad febres, maxime ad ſynochas,

ad

ad inflammationes, catarrhos, rhevmatiſmos. In juventute ſanguinei ſæpe experiuntur hæmorrhagiam narium.

§. XXXI.

Signa *cholerici temperamenti* ſunt calor & ſiccitas, pulſus deprehenditur magnus, celer et vehemens, vaſa majora ſunt & turgida, facies cum virore pallida eſt, habitus corporis macilentus, quia nutritio in ejusmodi hominibus eſt parcior, pauca appetunt, etſi plura concoquere poſſint. Sitis eſt frequentior, ſunt brevioris ſomni. Semen in talibus majorem activitatem habet quam in reliquis temperamentis. Actiones animales vegetiores ſunt, ac in reliquis temperamentis. Cholerici ſunt ingenioſi & perſpicaces, ut tamen judicium emineat; In negotiis gravioribus quoque exſequendis magnam præſtant alacritatem & dexteritatem. Sunt temerarii, ſuperbi, facile incandeſcunt, mox tamen ira deferveſcit. In febres aliosque morbos intemperiei calidæ facile incidunt.

§. XXXII.

In *phlegmatico temperamento* calorem humiditas fere ſuperat; Corporis habitus eſt laxus, pallidus, obeſus, pulſus parvus & tardus, vaſa ſunt anguſtiora, facies pallida, quandoque livida, appetitus mediocris, alimentorum digeſtio minus prompte ſuccedit, nutritio fere exuperat, ſomno fere ſepeliuntur tales, ſunt ignavi. Semen, quod in tali temperamento elaboratur, eſt iners. In ſenſibus & motibus magnus ſe exerit torpor, ade multus otii amor, ingenium hebes, ac ſtupidum judicium, memoria minus felix. Phlegmatici haud facile ad iram concitantur, ſunt admodum timidi, nihil alti ſpirant, ſua parum curant, imo fere negligunt, morbisque frigidis valde ſunt obnoxii,

In

In *melancholico temperamento* calor magis obtuſus obſervatur; Hinc corpus eſt frigidum, ſed ſiccum, macilentum, tardum, facies pallida & ſubfuſca, vultus demiſſus & triſtis, inceſſus tardus, pulſus tardus & ad magnum multum accedens. Quidam multum devorant, in aliis appetitus eſt mediocris, tarda eſt alimentorum reſolutio, & lenta nutritio. Somnus magis deficit. Semen adeſt parcius & minus activum. In ſenſibus, in motu, nulla eſt activitas. Ingenium quidem torpet, judicium vero eminet. Sunt, quibus tale eſt temperamentum, meditabundi, circumſpecti, conſtantes, taciturni, meticuloſi, ſuſpicaces, avari, tardius quidem irritantur, verum accenſis ſerius ſeneſcit ira, & prorſus ſunt implacabiles, injuriarumque tenaces. Malo hypochondriaco, & cacochymiæ melancholicæ valde ſunt obnoxii.

§. XXXIII.

His ex temperamentorum doctrina præſupponendis præſuppoſitis, breviori via ad ſcopum noſtrum pertingere licet, ut *per emendationem temperamentorum* intelligamus *idoneam proportionis humorum mutationem, qua actiones hominis in melius diriguntur.*

§. XXXIV.

Emendationem temperamentorum, mutationem eorundem eſſe, nullum eſt dubium, cum omne, quod aliam activitatem obtinere debet, aliam diſpoſitionem, h. e. mutationem ſubeat, neceſſe eſt. Cum vero activitas temperamentorum a definita maſſæ ſanguineæ dependeat proportione, hæc vero in quantitate, qualitate, miſcela, & motu partium maſſam ſanguineam conſtituentium, conſiſtat; Facile patet, quod earum quantitate, qualitate, vel motu aliter diſpoſito, temperamentum aliam ſubeat modificationem, hanc vero ſequen-

quentes hominis actiones si correctionem subire debent, fini apta ac idonea proportionis humorum mutatio fieri debeat.

§. XXXV.

Actiones hominis, quæ in aliquo temperamento corrigendæ, & ad melius dirigendæ, sunt vel ejusmodi, quæ ad sanitatem tutandam, vel ad propensionum & inclinationum moderamen faciunt.

§. XXXVI.

Sanitas terminos habet perfectionis, qui a partium corporis humani constituentium constitutione ponuntur. Sic humorum vitalium proportio sanitatem largitur, ut sua cuique sit temperamento facultas specialis, actiones, quæ homini secundum naturam competunt, exercendi. Ita in hoc temperamento quædam actiones majori ac in illo perstant vigore, in alio se habent mediocriter, in alio ad excessum, in alio ad defectum vergunt. (§. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII.)

§. XXXVII.

In quovis itaque temperamento, ut actionum integritas conservetur & firmetur, pravisque propensionibus frenum injiciatur, apta humorum vitalium proportio conservanda; Vel, si deflectat a naturali & convenienti statu, quibusdam in massa sanguinea partibus excedentibus, vel deficientibus, mutanda est, excessum vel defectum præsentem tollendo.

§. XXXVIII.

Temperamenti emendatione, morum quoque, propensionum & inclinationum correctionem obtineri, nemo in dubium vocabit, si perpendat, quod ob corpus humanum non bene constitutum, propter arctissimum nexum & vinculum male etiam sese habeat animus. Unde prout hujus facultates suo quæque modo afficiuntur, ita quoque mores, qui voluntatis inclinationes sunt, & propensiones, alia atque alia sese habent ratione.

§. XXXIX.

Cum itaque temperamentorum emendatio in idonea

nea proportionis humorum mutatione consistat, sanguinis & seri vero, adeoque humorum vitalium proportio, a causis §. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. recensitis dependeat, exinde colligere licet, quod earum conveniens regimen ad temperamentorum emendationem plurimum faciat. Sunt quidem ex illis causæ, quæ non mutari possunt, interim tamen moderamen admittunt, e. g. viscerum constitutio peculiaris, sexus &c.

§. XL.

Sicut vero massæ sanguineæ proportionem maxime disponit rerum non naturalium conditio & usus, ita quoque in mutanda illa, in emendando temperamento, rerum non naturalium moderamen omne fere absolvit punctum. Quale itaque regimen diæteticum in singulis temperamentis ad eorum emendationem observandum sit, jam indicabimus.

§. XLI.

In sanguineo temperamento aër observetur temperate calidus, quia calidior serum dissipat, frigidior autem præter modum auget. Alimenta assumantur temperata, potus tenuis, non nimis spirituosus, quia calidiora & spirituosa calorem intendunt, serum dissipant. Vitanda itaque aromatica, volatilia, acria, vinum, spiritus vini. Et quo magis inclinant sanguinei ad plethoram, eo magis victum plenum & lautum vitare debent, otioque renuntiantes labores subire. Et cum motus excedens serum absumat, & calorem augeat, deficiens vero seri accumulationi, & ipsius massæ sanguineæ abundantiæ majori faveat, hinc motus mediocris prodest; Otium vero, somnusque nimius perinde, ut motus deficiens, nocent. Vigiliæ nimiæ, æque ut motus excedens, serum blandum dissipant, adeoque siccant. Animi pathemata, *tum* spirituum & humorum motum concentrantia, ut terror, tristitia nimia; *tum* efferantia, ut ira, gaudium immodicum, nocent. Quoad excreta

&

& retenta, ſi plethora adſit, venæ ſectio prudenti inſtituta ratione prodeſt. Purgationes immodicæ, ſudationes nimiæ, venus immodica, & omnes evacuationes, quæ nimiam ſeri abſumtionem præſtant, damnum pariunt.

§. XLII.

Quia *in cholerico temperamento* calor eminet, & ſerum magis deficit, ea, quæ calorem temperant, & ſerum augent, optime conveniunt. Sic aër frigidiuſculus & magis humidus prodeſt, contra calidior & ſiccior calorem intendit, & ſiccitatem auget. Ut in ſanguineo temperamento in alimentis calidiora, aromatica, volatilia, acria, ſpirituoſa, vitanda ſunt, ita in hoc calidiori & ſicciori temperamento illa multo majori vitari debent ſtudio ac cura. Juvant vero temperantia, humectantia, gelatinoſa, ſale nitroſo pollentia, potus largior, minus ſpirituoſus, ſed dilutior. Motus nimius, vigiliæ modum excedentes valde nocent. Contra motus moderate inſtitutus, ſomnus largior prodeſt. Cum cholerici facillime irritentur, omnia, quæ iram movere poſſunt, ſolicite ſunt removenda. Quoad excreta & retenta omnes nocent evacuationes, quæ ſerum nimis imminuunt, ut purgationes & ſudationes crebrius inſtitutæ. Venæ ſectio, imprimis circa æſtatis initium inſtituta, prodeſt, quia ſanguis in hoc temperamento activior exſuperat. Veneris in toro moderatus uſus in hoc quoque temperamento prodeſt.

§. XLIII.

Phlegmaticum temperamentum, quia ad intemperiem frigidam & humidam inclinat, bene fert aërem calidiorem & ſicciorem, frigidus contra & humidus aër nocet. Proſunt alimenta calidiora, volatilia, aromatica, potus ſpirituoſus, imprimis vinum generoſum. Nocent pituitoſa, farinacea, lacticinia, piſces crebrius aſſumti, fumo indurata, acida, potus largior, imprimis aqueus. Motus & labores egregie conducunt, nec vigiliæ, ſi non omnem excedant modum, nocent. Mo-

tus contra defectus, otium, somnus immodicus, intemperiei frigidæ magis favent, torporemque augent. Gaudium, ira moderate admissa, huic temperamento magis prosunt, quam ut noceant. Tristitia vero, terror, & omnes animi affectus spiritus & humores concentrantes, noxam adferunt. Purgantia phlegmagoga, sudorifera, diuretica, & omnes evacuationes, quæ seri abundantiam corrigunt, maxime conveniunt; contra, quæ partes massæ sanguineæ activiores, jamdum deficientes magis imminuunt, nocent. Sic venæ sectio, imprimis largior, phlegmaticis damnunm infert. Ita quoque veneris immodicus usus nocet valde.

§. XLIV.

Temperamento melancholico, quia hoc ad intemperiem frigidam & siccam inclinat, aër commodus est, temperate calidus, haud vero conveniens est aër nimis siccus, pariter & frigidus. Prosunt in alimentis, humida, volatilia, cibi moderata aromatum quantitate conditi, potus largior & magis spirituosus, vinum generosum. Nocent cibi sicciores, crudi, viscidi, acidi, potus defectus, potus nimis spirituosus, ut spiritus vini. Motus, si modum non excedat, juvat. Admodum vero nocet quies nimia, valde nocent vigiliæ. Somni moderatus usus prodest. Ex animi pathematibus maxime vitanda sunt concentrantia, mœror, curæ; Nec meditationes nimiæ conveniunt. Nocent omnes evacuationes, quæ serosarum, spirituosarum, & activiorum in massa sanguinea partium defectum augent. Nec minus damnum inferunt sanguinis evacuationes, sudationes nimiæ. Prosunt contra evacuationes, quæ partium in massa sanguinea viscidarum, acidarum, tartarearum, & fixiorum imminutionem præstant. Unde diuretica, purgationes legitima ratione institutæ, haud parum utilitatis adferunt. Veneris usus sit moderatus, necesse est.

§. XLV.

Quorum *temperamentum sanguineum* inclinat ad *cholericum*, ii debent omni evitare studio, quæ calorem intendunt,

&

& ſiccitatem augent, contra, quæ calorem temperant, ſeri ſufficientem quantitatem conſervant, optime conveniunt. Hinc talis rerum non naturalium uſus, qualem §. XLII. commendavimus, obſervandus venit.

§. XLVI.

Quorum *temperamentum ſanguineum* inclinat ad *phlegmaticum*, iis vitanda ſunt, quæ calorem ultra modum minuunt, & humidum magis augent; Contra, quæ calorem & humidum blandum conſervant, in ſedulum uſum vocanda. Sic conveniens eſt moderatus uſus eorum, quæ §. XLIII. phlegmatico temperamento prodeſſe, aſſeruntur, aſt nocent, quæ phlegmaticum magis invitant.

§. XLVII.

In *ſanguineo-melancholico temperamento*, quæ acidarum, fixiorum, terreſtrium partium nimium in maſſa ſanguinea proventum & accumulationem impediunt, calorem vero blandum, & ſeri ſufficientem quantitatem, bonamque qualitatem magis invitant, ſunt in vſum vocanda. Hinc ea moderate adhibita, proſunt, quæ in melancholico temperamento §. XLIV. ſuaſimus.

§. XLVIII.

Cholerico-melancholico temperamento, quæ humidum augent, & calorem temperatum promovent pariter & conſervant, egregie conveniunt. Hinc in tali temperamento rerum non naturalium uſus ita moderandus eſt, ne ſeri defectus, nec acidarum, fixiorum, terreſtrium partium accumulatio intendatur, ſed potius ſeri in quantitate & qualitate boni generatio promoveatur.

§. XLIX.

In *phlegmatico-ſanguineo temperamento*, quæ humidum excedens imminuunt, calorem vero convenientem promovent, magnam utilitatem adferunt. Hinc huc pertinent, quæ §. XLIII. adduximus.

§. L.

Ad *phlegmatico-melancholici temperamenti emendationem* faciunt, quæ partium in maſſa ſanguinea pituitoſarum, aci-

darum, fixiorum, terreſtrium, eminentium ſecretionem atque excretionem, ſanguinis vero partium activiorum & ſpirituoſarum evolutionem, & ſeri blandi generationem præſtant.

§. LI.

In temperamento melancholico-cholerico emendando conveniunt, quæ partium in maſſa ſanguinea eminentium acido-bilioſarum, tartarearum, imminutionem, & ſeri blandi generationem & augmentum præſtant.

§. LII.

Quo magis vero temperamento tranſitus ad præternaturalem ſtatum pronus eſt, eo magis prudentis Medici cura opus eſt, ut cacochymia omnis tollatur, & naturalis humorum proportio reſtauretur & conſervetur. Enim vero non ſolum inconvenienti diætæ adminiſtratione exceſſus, vel defectus vitioſi in humoribus vitalibus, & eorum partibus conſtituentibus, illorum proportionem invertentes, ingruunt, verum etiam viſcerum depuratoriorum culpa idem ſæpe numero contingit. Quam ob cauſam tunc ea ſunt ſolicite in uſum vocanda, quæ viſcerum obſtructionem expediunt, eorundem tonum naturalem reſtituunt, & roborant. Hinc aperientia appropriata, cum evacuantibus pro re nata interpoſitis egregie conducunt. Inter illa vero laudem & commendationem maxime merentur martialia rite præparata, quippe quæ humores blande reſolvunt, omnem acorem tartareum extinguunt, adeoque maſſam ſanguineam edulcant, fibras quoque roborant, adeoque viſceribus tonum addunt eximie, ut in depuranda maſſa ſanguinea officium ſuum ſubire, & rite præſtare poſſint.

§. LIII.

Si temperamentum hominis vitioſam conditionem habeat ex affectu hypochondriaco, ſcorbuto, affectu hyſterico, vel alio morbo præſente, his malis ex ſuis loculis eſt occurrendum, & naturalis humorum vitalium proportio eſt reſtituenda.

LIV.

Non ſolum vero tunc temporis, quando a morbis præſentibus temperamenta vitioſam ſubiere conditionem, auxilia ex fonte pharmacevtico depromenda, emendationem præſtant, ſed hæc etiam locum habent, imo in uſum ſunt vocanda, quamvis præſerva-

tive

tive magis in omni temperamento, in quo quædam in massa sanguinea partes sunt eminentes, vel aliæ depressæ, vel deficientes. Hinc pro emendatione temperamentorum obtinenda, suademus medicamenta tum alterantia, tum evacuantia, illa quidem, ut partes in massa sanguinea deficientes restituantur, & legitima ratione augeantur; Hæc vero, ut abundantes apte minuantur. Hisce enim modis quodvis temperamentum ab omni intemperie, ad quam tamen inclinat, præservatur, & actionum, quæ homini sunt obeundæ, vigor promovetur & conservatur.

§. LV.

Cholerici temperamenti, tanquam calidioris & siccioris, emendationi inserviunt refrigerantia & humectantia, sanguinem biliosum temperantia, diluentia, ut decoctum herbæ Theæ, aliaque decocta vel infusa theiformia temperatiora, gelatinosa, ut Gelatina cornu cervi, eboris, aliæve gelatinæ, nitrosa & alia salia, & salina media, ut 🜿⊕olat. arcan. duplicat. ♁ antispasmod. Stahlii, arcanum 🜿ri cum R̄a ♂tis citrina & ▽♌ summitat. pini, R̄a ♂tis temperata Wedelii. Ejusmodi remedia sæpius assumta calidioris & siccioris temperamenti emendationem præstant.

§. LVI.

Phlegmaticum, humidum & frigidum existens temperamentum emendant, quæ *seri abundantis dissipationem & excretionem faciunt*, ut Diaphoretica, sudorifera, purgantia phlegmagoga. Quando pituita magis eminet, aperientia, incidentia, resolventia, quæ illam ad secretionem obeundam habilem reddunt, sedulo in usum adhibita, pituitosi temperamenti emendationem efficiunt. Talia sunt Ess. Lignorum, helenii, pimpinellæ albæ, R̄a♁ij, 🜿ri, MRa tonica Stahlii, ♁ cachect. Quercet. Aromatica, & ⊖e ♈i ☍oso pollentia.

§. LVII.

In cholerico-melancholico, nec minus *in melancholico-cholerico temperamento emendando*, ea sunt in usum vocanda, quæ partes in massa sanguinea eminentes bilioso-acidas 🜿reas, vel acido-biliosas 🜿reas corrigunt, earumque secessum promovent, seri vero blandi generationnm juvant. *Remedia* hujus commatis sunt, *aperientia*, R̄a ♂tis cydoniata cum arcano 🜿ri, & ▽♌ summitatum pini, ♁res absor-

abſorbentes & aperitivi, decocta temperantia. Ex evacuantibus inprimis purgantia melanagoga legitima ratione adhibita proſunt.

§. LVIII.

In phlegmatico-melancholico, vel *in melancholico temperamento* emendando itidem conveniunt *aperientia*, quæ partium in maſſa ſanguinea pituitoſarum, acidarum, fixiorum, ♀rearum ſecretionem atque excretionem, partium vero activiorum & ſpirituoſarum evolutionem juvant. Ex iis apprime conveniunt R̄æ ♂tis, ut R̄a ♂tis cydoniata, vel helleborata, cum arcano ♀ri mixta, addita Eſſentia quadam aromatica, ut Eſſ. Calam. arom. Eſſ. pimpinell. alb. Sic quoque ♁res aperitivi & aromatici. ♁cacheƈt. ℨ:ℨ:in. Wedelii, ♁ſtomachal. Quercet. Et quando partes in maſſa ſanguinea pituitoſæ, acidæ, ♀reæ, ad ſeceſſum ſatis ſunt diſpoſitæ, ut earum evacuatio legitima haberi poſſit ratione, *evacuantia*, e. gr. purgantia interpoſita officium ſuum præſtant.

§. LIX.

Ex iis itaque, quæ hactenus adduximus, conſtare poteſt, quod temperamentorum emendatio remediis ex duplici fonte, *diætotico* nempe, & *pharmacevtico* deſumendis obtineri poſſit. Valet vero huc quoque, quod in *Libro Aphoriſmorum Hippocratis* legitur: Δοτέον δέ τι καὶ τῷ ἔθει, καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ καὶ τῇ ἡλικίῃ. *Concedendum vero eſt aliquid & conſuetudini, & tempori, & regioni, & ætati.* Nec peccabimus, ſi addamus: Concedendum etiam eſſe aliquid *ſexui*, & *vitæ generi*.

§. LX.

Denique monendum eſt, ut in iis admittendis & adminiſtrandis, quæ corpus & animum alterare, & varie diſponere valent, non ſervos naturæ agamus, ſed rectæ rationis dictamini magis, quam appetitui ſenſitivo obſequium præſtemus. Pertinent huc, quæ *Seneca Ep.* 8. monet: *Hanc ſanam & ſalubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantum indulgeas, quantum bonæ valetudini ſatis eſt. Durius tractandum eſt, ne animo male pareat.* His itaque tractationi noſtræ finem imponimus, quæ amplius addenda eſſent, alii reſervaturi occaſioni.

SOLI DEO GLORIA.

❧)o(❧